

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3512

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1254, novembre

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, en vidimant la charte du chevalier Samson de Grouchet, confirme la donation que le chevalier a faite aux moines de Bonport.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 523, p. 92-93.

b. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CLXVII et CCI, p. 171-172 et p. 204.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gracia, Francorum Rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod nos litteras dilecti et fidelis nostri Sansonis de Grouchet, militis, et Petronille, ejus uxoris, vidimus in hec verba :
Sciant presentes et futuri, quod ego Sanson de Grouchet, miles, et Petronilla, uxor mea, de communi assensu, dedimus et concessimus perpetualiter Deo et Sancte Marie de Bonoportu, et monachis ibidem Deo servientibus, Cisterciensis ordinis, pro salute animarum nostrarum et antecessorum nostrorum, in perpetuam elemosinam, sedem molendini de Roucha, cum molendino sito in loco qui vocatur le Braz de la Mouche, cum omni jure et dominio, et cum omnibus pertinentiis quas habebamus, vel habere poteramus, [in] predictis sede et molendino, ad habendum et ad possidendum dictis monachis in perpetuum, integre, libere et quiete sicut elemosina potest et debet liberius et quietus haberi, teneri et possideri, et ad faciendum exinde suam penitus voluntatem, absque omni prorsus nostri et omnium nostrorum heredum de cetero calumpnia, reclamazione et exactione, reddendo inde singulis annis sexaginta solidos monete currentis, scilicet triginta solidos ad festum Sancti Michaelis Radulpho de Sancto Melano, vel ejus heredibus, et totidem ad eundem terminum heredibus Radulphi de Longo Essarto. Insuper juravimus super sacrosancta evangelia, spontanea voluntate, non coacte, quod in predictis sede et molendino cum pertinentiis eorundem, ratione hereditatis, possessionis, elemosine, dotis, vel aliqua alia ratione, nichil de cetero reclamabimus. Imo tenemur, tam nos quam nostri heredes, omnia supradicta contra omnes bona fide garantizare, vel alibi, si necesse fuerit, in nostro alio tenemento, in loco oportuno, valore ad valorem, excambiare, salvo jure capitalium dominorum. In cujus rei testimonium et munimen, presentem cartam sigillis nostris confirmavimus. Actum anno Domini M° CC° quadragesimo octavo, mense Aprili.

Nos autem donacionem predictam, prout superius continetur, volumus, concedimus et confirmamus, salvo jure alieno. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii hominis

karactere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius, anno Domini M° CC° L° quarto, mense Novembris, regni vero nostri anno vicesimo octavo, astantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; buticulario nullo ; signum Alfonsi camerarii ; signum Gilonis constabularii.